

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Diuicie al
cum fontibus proximo et primis

Non reprehenditur diues quod terram
coluerit uel fructus in horrea congregauerit,
sed quod fiduciam uite
in illis posuerit,

nec pauperibus erogauerit

ut ab eis reciperetur in eternis tabernaculis.

Beda in glossa super illud Luce II.: Cuiusdam diuitis
hominis et cetera.

Hominis cuiusdam et cetera.

Non reprehenditur diues quod terram
coluerit. vel fructus condiderit in horrea:
sed quod fiduciam uite
posuerit in illis.

nec pauperibus erogauerit.

vt ab eis reciperetur in eternis tabernaculis.

Glossa ordinaria, liber euangelii secundum Lucam, 12
(Biblia Latina cum glossa ordinaria, A. Rusch ed.,
Strassburg, 1480).

Non in eo reprehenditur iste diues quod terram
coluerit natosue ex ea fructus in horrea collegerit
sed quod omnem uitae suae fiduciam
in ipsa abundantia rerum posuerit
fructusque quos uberiores solito terra protulit
suos fructus et sua bona computans
non pauperibus erogare
iuxta imperium domini dicentis,
Quod superest date elemosinam,
sed factis receptaculis maioribus suae
in futurum luxoriae reseruare studuerit.

Beda Venerabilis, *In Lucae euangelium expositio*, 4.12
(CCSL 120, D. Hurst ed., p.251, ll.809-816).

Sic est, videlicet stultus,
et in nocte a diuinis iudiciis rapiendus,
cujus exspectatio non est Dominus,
qui transitoria non distribuit pauperibus,
ut ab eis reciperetur in aeternis tabernaculis.

Zacharias Chrysopolitanus, *De concordia
euangelistarum libri quatuor*, 3.105 (PL 186, col.331D).